

## CAPUT LIV

confortantia & alexipharmaca specifica  
præscribit.

**C**ONFORTANTIA, quæ non solum cor, sed & reliqua viscera respiciunt, nunc attendenda. Hisce cum semper ad metum malignitatis respectus sit habendus, ALEXIPHARMACA jungenda, ut, si vel lateat, intacta non relinquatur, vel si imminet, præcaveatur.

**CERVUS**, qui ferè nil nisi medicina est, *ἡ χερει, ἀλλ' ὄλα τῶ ἰυλάκω*, plenè horreò medicamenta, alexipharmaca & bezoardica humano generi ad febriles hos insultus extirpandos communicat. **COR, HEPAR, TYPHI, PULMO** liquida: **CORNU & SANGUIS** liquida & sicca, **OS DE CORDE CERVI** sicca præbet medicamenta.

Egregia non minoris momenti alexipharmaca suppeditat **CORNU ALCIS**.

**VIPERA & SERPENS** varia nobis suppeditant, dum vel pulverisantur, vel incinerantur, vel ex iisdem  $\ominus$  elicitor. Novimus Archiatrum, cujus pulvis bezoardicus nil nisi merus serpentum & viperarum cinis, quod demiramur, cum incineratione  $\ominus$ ia volatilia avolârint in auras & parùm vel nihil salis fixi remanserit. A quò ergò ipsi tanta virtus tribuenda?

Laudantur *pulveres viperarum, alexipharmaci Zuvelferiani, ejusdemque bezoardicum animale, trochisci viperini, essentia viperina*.

Excellunt *pulvis bezoardicus Rolfincianus albus & ruber, descriptus in methodò medic. spec. comm. Pulvis contra febres malignas ejusdem, Sennertianus, Pannonicus ruber, Cæsareus rubeus contra pestem, Saxonicus, qui ex octo constat radicibus. Vid. pharmacop. Zuvelferi.*

Mira præstant *magisterium  $\odot$ , chrysopurpura, perlarum, coralliorum*